



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

61 Decima debetur etiam mutata facie agri, aut alterius praedij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

60 *insti. moral. c. 35. sub ver. quartò quaritur,* & debet solvi de omnibus fructibus sine aliqua impensarum deductione, *cap. non est, & d. gloss. in cap. cum non sit, & gl. fin. in cap. ex parte; & Abb. in cap. pastoralis nu. 2. eod. tit. quæ procedunt in decimis prædialibus, sicut in personalibus, ut per gloss. fin. in d. cap. non est, cap. pastoralis, & ibi Abb. nu. 1. 6. & 7. eod. tit.*

61 Debetur decima prædialis, etiam si dominus fructus conditionem rei suæ mutet, nempe, si in agro, qui arari, & grano seminari solebat, quis vineam plantaverit, vel agrum ad pratium reducerit, aut in eo oriza seminaverit, seu in area, vel platea arbores sererit, vel domos extruxerit, sive ex vinea agrum ad seminandum fecerit, quæ omnia dominus facere potest, absque Ecclesiæ consensu, & si qualitate mutata prædialiter fructus reddant, major decima debetur, ut est text. *in c. commissum, & ibi Abb. nu. 2. de decim. Covar. pract. qu. c. 37. num. 5. Rot. divers. decis. 17. num. 10. par. 2. & Azor. qui testatur hanc esse communem sententiam, in eo cap. 35. sub ver. decimum quaritur.*

62 Quamvis enim privilegio Papæ & exemptione decimæ tolli possint, per text. *in cap. à nobis,* ubi etiam gloss. *de decim. cum alijs supra num. 58. deductis,* pluries tamen super privilegijs eximentibus à decimarum solutione solet dubitari. Quo casu verba privilegiorum sunt ponderanda, quia, si privilegium respicit terras, seu prædia, coloni colentes illas privilegio participant, estque transitivum ad colonos, & tunc privilegium dicitur reale, gloss. *in clem. 1. in verb. excolendas, circa fin. de decim. & ibi Cardin. Abb. Imol. Anchar. Vital. & alii idem Abb. in cap. ex parte, num. 5. de decim.*

& consil. 9. dub. 2. lib. 1. Rot. decis. 4. de privileg. in ant. de communi testatur, Soc. in cons. 268. ante numer. 1. lib. 2. & post alios ibi allegat, idem tenet Rot. divers. decis. 23. num. 6. par. 2.

63 Moniales enim Ordinis S. Claræ habent privilegia à Summis Pontificibus concessa, quod ipse de quibuscunque terris, & possessionibus suis quas per se, vel colonos, aut servitores suos excoli, aut cultivari faciebant, aut in posterum facerent, nullas decimas, & primitias parochialibus ecclesijs, & alijs persolverent, nec ipsæ, aut possessionum earundem coloni ad earum solutionem à quocunque cogi possent, & idè favore earundem monialium, suorumque colonorum in causa Conchen, exemptionis decimarum, in Rota coram Orano.

Die 20. Januarij 1589. fuit resolutum monialium Beatæ Mariæ Conceptionis, Ordinis S. Claræ intensionem fundari in privilegijs per Summos Pontifices Abbatissis & monialibus ejusdem Ordinis Sanctæ Claræ concessis, in quibus habeatur, quod ipsæ de quibuscunque terris, & possessionibus suis, quas per se, vel colonos, aut servitores excoli, & cultivari faciebant, aut in posterum facerent, nullas decimas, & primitias parochialibus Ecclesijs, & alijs persolverent, nec ipsæ, aut possessionum earundem coloni ad earum solutionem à quocunque cogi possint.

Neque verò laborandum est circa verificationem dicti privilegij, ex quo fuit concessum motu proprio, & concurrat cursus temporis, & illius observantia, prout, aliàs fuit dictum in una Lucana Decanatus coram Aldobrandino, & in alia Burgen. jurisdictionis coram Seraphino, & est de-